

# PALAESTRA LATINA

## SUMMARIUM

DE RECTA LINGUAE LATINAE PRONUNTIATIONE  
(E. Jové)

CONLOQUIA IN SCHOLA.

CURSUS GYMNASTICUS, (H. Martija).

IN CHRISTUM CRUCIFIXUM, A Urquiola

NOVA ET VETERA, (E. Jové)

EPISTULARE COMMERCIIUM.

AD INTERROGANDUM ET RESPONDENDUM

PER ORBEM, (J. M.<sup>a</sup> Jiménez.)

BIBLIOGRAPHIA, (R. Pastó, A. Pujol, R. Ca-  
sals, A. Marqués).

IN INGRATUM, (M. Caro) PER NOCTEM, (C.  
Mesa). in operculis.

EXERCITATIONES SCHOLARES in operculis.

COMPOSITIONES VERTENDAE in operculis

**Ordinarii atque Superiorum permissu**

# www.culturaclasica.com

## IN INGRATUM

CADULLUS, 1. I. 71

Desine de quoquam quidquam velle bene mereri  
aut aliquem fieri posse putare pium.  
Omnia sunt ingrata; nihil fecisse benigne est  
immo etiam taedet obestque magis.  
Ut mihi quem nemo gravius nec acerbius urget  
quam modo qui me unum atque unicum amicum habuit.

*No habrá, aunque todo lo des  
quien agradezca tus dones:  
en todos los corazones  
la ingratitud reinan ves.  
Haber beneficios es  
inútil; inútil, digo?*

*Fuente de males. Conmigo  
nadie se encariña así,  
como ese de quien yo fui  
el solo y único amigo.*

Michaël CARO

### Per noctem

Candida luna noctem  
luminat; astra velat.  
Nubila scindit auster.  
pace quiescit orbis.  
Non queribunda turtur  
percipitur sub umbra,  
non hominum loquela,  
nec sonitus aquarum.  
Est taciturna ripa;  
aequoris ora lambit  
unda levis, silentque  
sidera, terra pontus.  
Lumina prima spargens  
antra reliquit almus  
sol nitidus coronans  
tectata, fugansque noctem.

CAROLUS F. MESA, C. M. F.

### De noche

*Espléndida blanca luna  
y eclipsa las estrellas;  
rasga el viento las nubes,  
descansa en paz la tierra.  
No canta so la fronda  
tórtola lastimera,  
ni se oye voz humana,  
ni el agua rumorea.  
Callada está la costa;  
las blandas olas besan  
la playa; están callados  
el cielo, el mar, la tierra.  
El sol vivificante  
vierte su luz primera;  
alumbra los hogares,  
la oscuridad ahuyenta.*

CARLOS E. MESA, C. M. F.

## PALAESTRALATINA

Quotannis mense octobri orditur, novemque editis fasciculis per totidem menses curriculae scholaris, mense junio clauditur

Praeter opercula PALAESTRA LATINA sexdecim continet pagellas, in quarto majore centimetris 17/24.

Pretium subnotationis annuae, *solutione antelata*, est:

- 6 pesselarum in HISPANIA
- 7 » in AMERICA ET LUSITANIA
- 8 » in RELIQUIS CIVITATIBUS.

Subnationes semper mense octobri incipiunt. Qui igitur post eum mensem PALAESTRAE LATINAE subnotabitur, numeros praecedentes accipiet.

# PALAESTR LATINA

MENSTRUUS DE LATINITATE COMMENTARIUS



Pretium subnotationis annuae, solutione antelata, est 6 pessetarum in Hispania, 7 in America et Lusitania, 8 in reliquis civitatibus. Pretium mittatur oportet ad Administratorem: CERVERA (Lérida) - Universidad - España.

## De recta linguae Latinae pronuntiatione

**Praefatiuncula.** — Aprili mense exeunte vertentis anni Romae habitus fuit conventus de sermone Latino apud doctos praesertim evulgando. Inter alia argumenta quae ibi sunt agitata, Crema, geologiae magister, ominatus est ut una eademque Latina pronuntiatio tandem aliquando constituatur.<sup>(1)</sup> Quaestio, ut apud Italos, parum est aestimata et tritis satiusque vacuis argumentis etiam neglecta, quae tamen est hodiedum non tantum votum sed verum institutum apud viros non e vulgo et clariores academias et gymnasia.

Plura sunt in Latina pronuntiatione corrigenda, sed fere diversa pro diversis populorum linguis. Nos exempli causa Hispani homines contra morem nostrum bene pronuntiamus consonantem litteram *j*. In hoc quidem laudandi sumus quod Gallos vel imitari nesciamus, qua quidem in re nobiscum sunt et Itali et Germani. Cedant ergo nobis Galli hac in re et veritati cedent. Galli vero cum Italis et Germanis recte promunt et *v* consonam et *-s-* intervocalicam,<sup>(2)</sup> quas litteras nos adeo male proferimus ut idem nobis sit *bibere* et *vivere*, *casa* et *cassa*. In his igitur cedamus nos illis et veritati cedemus. Bene proferunt Germani gutturalem litteram *g*, bene et mirabiliter emittunt consonantem liquidam *u* (vel semivocalem) post *q* et *ng*, quod reliqui minime facimus. Cedamus Germanis et veritati ce-

(1) Alma Roma, ann. XX, fasc. V, p. 77. — (2) Ignoscat hic mihi clarissimus J. Marouzeau si minus quam ille ab auis civibus peto ad linguam Latinam recte pronuntiamdam (La Prononciation du Latin pp. 16 et 17). Dicit ille: «Nous prononçons *roza* là où il n'y a à vrai dir jamais eu qu'une *s* simple, mais une *s* surde, car nous savons que l'*s* simple sonore entre deux consonnes a passé à *r* avant l'époque classique (loi du rhotacisme)». Serius probare contendam late quod hic tantum enuntio. Ut mea fert opinio, si *s* simple semper fulsset surda, parum intellegi potest illud Prisciani: «Adeo autem cognatio est huic litterae (id est *s*) cum aspiratione, quod pro ea in quibusdam dictionibus solebant Boeotes *h* ponere, «*muh*» pro «*mus*» dicentes. (Keil, II, 33) Quantum ad *v* (*u* consonam), Gallicae pronuntiationi maxime favet illud ejusdem Prisciani: Aeolicum digamma quod apud antiquissimos Latinorum eandem vim quam apud Aeoles habuit; *eum autem prope sonum*, quem nunc habet, significat *p* cum aspiratione. (Keil, II, 16)

demus. Yatque z, Graecae litterae, cum forte occurrunt in sermone Latino, sic pronuntiandae sunt ut υ et ζ apud Graecos, cui rei facile adquiescent qui sonum ferale u habent, sed et alii homines docti qui grammaticam Graecam salutaverint; quod ad z Italos imitemur cum dicunt *grazia*. Pauca tandem sunt in quibus omnes aliter atque aliter errant ut diphthongi *ae oe*, *c* et *ti* sequente vocali; atque in his oportet ut omnes veritati fascas demittamus, si unitatem pronuntiationis vere adfectamus. Nihil de ceteris dicam litteris in quibus latine pronuntian- dis omnes nationes substantialiter conveniunt. Substantialem etiam convenientiam in illis litteris supra dictis, praesertim apud doctos, non est cur adeo difficilem praedicemus, cum cottidie homines periti, alterius nationis linguam addiscentes, labia sua ad exteram linguam aptare contendant, repugnantesque stulte nimium agere dicemus.

Quis autem vir consuetudinem a primis unguiculis ductam retractet, etsi retractandam censuerit? Hunc ausim praecipuum dicere obicem rectae linguae Latinae pronuntiationi. Profecto unusquisque eam pronuntiationem praefert quae sibi a prima institutione injecta est. Nos id non dolemus, quod qui inscienter a prima aetate falsam pronuntiationem didicerunt, ob resipiscentiae difficultatem male pronuntiare pergant, sed id potissimum lamentamur quod praeceptores, quibus est officium sacratissimum a falso mentes puerorum avertere et verum eos unice docere, ob quamlibet causam audeant falsitatem nationalium pronuntiationum virginibus puerorum mentibusingere. Neque minus vituperandi sunt, mea quidem sententia, qui falsam pronuntiationem relinquentes, aliam usurpant, quae simili falsitate laborat. Hic repetendum venit illud Horatii:

*In vitium ducit culpae fuga si caret arte* (Art. Poët. 31)

Saeculo sexto decimo, nondum factis investigationibus philologicis, quae nostra memoria rem totam de pronuntiatione extra dubium exposuerunt, sic jam loquebatur apud nos vir sapientissimus Sanctius Brocensis: «Oro magistrorumque conscientiam adgravo, qui latine legere docent, ut adeo graves corrigant errores quos nos semper docuerunt. Id praestare facile poterunt has regulas servando quae usu faciles fient». Et continuo praecipuas de pronuntiatione leges enumerat. <sup>(1)</sup>

**Quid eam quaestionem agitemus.** — Hanc nos quaestionem agere adgredimur, novum curriculum incipientes, multis quidem de

(1) Haec sunt ejus verba: *Ruego y encargo la conciencia a los maestros que enseñan latín que se cuiden de tan graves errores como nos han enseñado siempre; esto se puede hacer fácilmente guardando estas reglas que con el uso serán fáciles... Cualquiera que mezcla en el latín letras extranjeras hierra mucho...* (Sanctii Brocensis Opera omnia. — Reglas para perfectamente leer y pronunciar latín.)

caussis. Ac primam ponimus quod a sociis nostris iterum iterumque rogati sumus per litteras et coram, ut in paginis PALAESTRAE LATINAE de re quid verum esset ostenderemus. Nonne eis nos penitus debemus qui tam fidenter lectiones de Latinitate dociles a nobis aucupantur. Altera, neque illis praetereunda qui in rebus ad Latinitatem spectantibus novissimum, quod ajunt, verbum ignorare nolunt haec est, quod illa pronuntiatio ut vera et unice legitima sibi apud omnes populos viam latissimam hodie aperit, ut haud ita multos post annos super omnes nationales, internationalis sit evasura, <sup>(1)</sup> et sicut scripta vinculum est unitatis quae totius orbis viros sapientes connectit, eodem modo organum fiet oris quo mentis species peregrini homines cum civibus cujusque gentis facili sermone communicabunt. Tertia vero atque eadem maximae utilitatis iis praesertim qui in magnis collegiis communi conversatione vivunt cum sociis alterius linguae atque civitatis, ut nempe qui pro formarum unitate in rebus omnibus decertant, eam in inmutabili loco firment, unde numquam dimoveri valeant.

**Quamnam pronuntiationem classicam vocemus.**—Eam autem pronuntiationem vocamus classicam qua in tota Romana ditione homines litteris imbuti aetate aurea et argentea utebantur et quam postea, dum in sermone cottidiano cives pervertebant, alumnos in scholis docere pergebant magistri usque ad excidium imperii Romani. Nihil igitur valent contra eam quae ex rusticis atque imperitis hominibus procedunt argumenta vel ipso Ciceronis tempore; nihil quae vel poëtae aetatis aeneae vel ferreae sibi licenter forte adsumunt; nihil quae, renitentibus grammaticis, venerint in usum civium peritorum post aetatem argenteam; nihil tandem quae contra grammaticos veteres, docent grammatici qui scripserunt post Barbarorum irruptionem in Imperium Romanum.

EMMANUEL JOVÉ, C. M. F.

(sequar)

**Responsorium, C. M. Zipaquirae.** Quae misisti, omnia ad nos pervenerunt cum epistula rerum jucundarum grava. Danieli Restrepo nuper exempla misisti tria nummi 27. Andrade liberaliter ad nos misisti libellos, eosque pulcerrimos. Numquam Jericani semirani in administratione nostra inventum esse nomen, quod vere dolemus; in posterum illuc veniet commentarius noster; tu autem curaveris de pecunia, nonne? Fascem numerorum ad te pervenire faciam ut propagationis famem explere valeas non tantum ad Valentiam, virum clarissimum, verum etiam ad omnes quos tu volueris. De Pombo multum te amo; edetur elucubratio tua. Gratias etiam G. Rozo cui etiam faciam satis. Jam vides quam plene tibi morem gerere voluerim. Vale plurimum.

(1) **Brrandonea.**—*Gramática Latina*. 3.<sup>a</sup> edic. n. 692, nota 2<sup>a</sup>

## Conloquia in schola

### Studiosus litterarum praemio donatur

PERSONAE:

PETRUS ET FILIUS EJUS JOSEPHUS

- J.—*Ave Maria purissima!*  
 P.—*Sine labe concepta. Venis ab schola admodum contentus. Quid? Esne lucratus aliquam schedulam?*  
 J.—*Tres mihi tradidit magister quia scriptionem de mathesi bene gesseram. Unus fui ex aula qui problema resolvi.*  
 P.—*Accede ut te deosculer. Tuum in litteras studium magnopere placet. Tibi alias jam dixi filium studiosum parentum esse decus; tu autem decus meum.*  
 J.—*Tata mi; cur adeo cupiunt parentes ut liberi sapientes sint? Nonne videtur tatae posse quis dives esse et non sapiens.*  
 P.—*Id non inficiar omnino, mi Josephule, quamquam non est commune. Sunt profecto homines valde divites qui neque decenter scribere sciunt. Sed absit a te et a me quod filius meus, crumena referta, sit mente vacuus sine ideis, sine celsis cogitationibus.*  
 J.—*Sed id demum accidit, divites melius in hoc mundo se habere.*  
 P.—*Cave credas, Josephule. Voluptates, sunt eaeque plures, quas divites ignari de gustare nequeunt.*  
 J.—*Rem explica, sodes.*  
 P.—*Poterunt divites prae aliis palatum epulis pascere: sed quid hoc cum gaudio de veritate difficili bene capta?... cum problemate intricato bene soluto? Tu vero studio vaca, fili mi; hanc patri tuo laetitiam praebeto,*  
 J.—*At ego secundus sum in aula, idque cum non desint qui duobus me et tribus superent annis.*

### Premio a la aplicación

PERSONAJES:

PEDRO Y SU HIJO JOSÉ

- J.—*¡Ave María purísima!*  
 P.—*Sin pecado concebida. Vienes muy contento de la escuela. ¿Qué? ¿Es que has ganado algún vale?*  
 J.—*Tres me ha dado el maestro por haber hecho bien la composición de matemáticas. Fui el único de la clase que resolví el problema.*  
 P.—*Ven que te daré un beso. Tu aplicación al estudio me complace sobremanera. Ya te he dicho otras veces que el hijo estudioso es la honra de sus padres; y tú eres honra mía.*  
 J.—*Papá; ¿porqué los padres desean tanto que sus hijos sean sabios? ¿No le parece a papá que puede ser uno rico sin ser sabio?*  
 P.—*No lo negaré en absoluto, mi querido Pepe, aunque no es esto lo ordinario. Cierto que hay hombres muy ricos que ni saben escribir decorosamente. Pero librenos Dios de que mi hijo teniendo lleno el bolsillo, ande con un entendimiento vacío de ideas y de elevados pensamientos.*  
 J.—*Pero esto es lo que sucede, que los ricos la pasan mejor en este mundo.*  
 P.—*No lo creas, Pepe. Hay placeres, y no pocos, que no pueden disfrutar los hombres ignorantes.*  
 J.—*Explicame eso, que no lo entiendo.*  
 P.—*Pueden los ricos regalarse en comilonas más que los otros, pero ¿qué tiene que ver esto con el placer de una verdad difícil bien comprendida?... con un problema intrincado bien resuelto? Tú estudia, hijo mío, da esta satisfacción a tu padre.*  
 J.—*Yo soy el segundo en la clase y esto que no faltan quienes me pasan dos y tres años.*



- P. — *Haud dixerim quantum gaudeam, Josephé; ita pergito et eris sapiens et dives; atque ut videas studio tuo te mihi gratum facere, et me tuum aestimare laborem, volo praemio te donare. Postula a me quidquid velis.*
- J. — *Itare? Atqui... plura velim.*
- P. — *Unum elige: cetera ad alios annos, si modo studeas et bonas obtineas censuras.*
- J. — *Pampilonem igitur ire volo, ut consobrimum Macarium conveniam qui hac aestate apud nos fuit.*
- P. — *Ecquid facias Pampilonem?*
- J. — *Videbo patruos et consobrinos; ibi manebo duas hebdomadas; urbem circum ambulabo; ludam et... alia faciam plura.*
- P. — *Minime; non ibis Pampilonem.*
- J. — *Nonne mihi satis te facturum esse recepisti, quidquid postulaverim?*
- P. — *Etiam. Sed Pampilonem visere alias tibi concedam.*
- J. — *Nunc vero non? Tunc autem quid mihi dabis praemii?*
- P. — *Quid praemii?*
- J. — *Gratissimum mihi erit aliquot hebdomadas oppido abire.*
- P. — *Visne igitur ire ad patruum tuum Johannem?*
- J. — *Nihil apud eum forte sit videndum.*
- P. — *Quod tua refert est requiescere. Patruus ibi in optima villa vivit; ibi sunt et Populus et Jacobellus pares tibi aetate et consobrini. Currere cum eis poteris et ludere et excursiones facere per agros, purum montium aëra respirare. Ibi fructus uberrimos comedes; placetne tibi?*
- J. — *Multum... sed et Pampilonem?*
- P. — *Pampilonem ibis in natalibus Domini, si bonam de te rationem apud magistros tuos dederis.*
- J. — *Studebo igitur, idque impense ut tatae meo pergratum faciam.*
- P. — *Ita placet, bone fili.*
- P. — *No sé decirte lo que me alegro, Pepe; sigue así y serás sabio y rico. Y para que veas cuánto me complaces y cómo estimo tu trabajo, quiero premiarte. Pídeme lo que quieras.*
- J. — *¿Sí? Pues .. muchas cosas quisiera.*
- P. — *Escoge una; las demás para otros años con tal de que estudies y obtengas buenas notas.*
- J. — *Quiero ir a Pamplona para ver a mi primo Macario, que en este verano ha estado con nosotros.*
- P. — *¿Qué vas a hacer en Pamplona?*
- J. — *Veré los tíos y primos; estaré allí dos semanas; recorreré la ciudad; jugaré... y haré mil otras cosas.*
- P. — *No; no irás a Pamplona.*
- J. — *¿Pero no me ha prometido que haría V. lo que le pidiese?*
- P. — *Sí; pero a Pamplona te concederé ir en otra ocasión.*
- J. — *¿Y ahora no? .. ¿Pues entonces qué premio me va a dar?*
- P. — *¿Que cuál?*
- J. — *Me gustaría mucho salir del pueblo algunas semanas.*
- P. — *¿Quieres ir, pues, a casa de tu tío Juan?*
- J. — *Quizá no hay nada que ver allí.*
- P. — *Lo que te importa es descansar. Allí tu tío vive en una hermosa quinta; allí está Pepito y Santiaguito de tu misma edad y primos tuyos. Podrás correr con ellos y jugar y hacer excursiones por los campos, respirar el aire puro de los montes. Allí comerás frutas en abundancia; ¿te gusta?*
- J. — *Mucho... ¿pero a Pamplona?*
- P. — *A Pamplona irás en Navidades, si dieres buena cuenta de ti delante de tus maestros.*
- J. — *Estudiaré, pues, y con interés, para dar gusto a mi papá.*
- P. — *Muy bien, hijo mío.*

## CURSUS GYMNASTICUS

## VERGILII ECLOGA V.

(ADNOTATIONES GRAMMATICAE—RHETORICAE)

Vergilius in ecloga V, sub pastoribus Mopso et Menalca mortem et apotheosim Daphnis concinit. Quis autem sit ille Daphnis ambigitur. Ludovicus Vives pie magis quam vere a Vergilio inscio, ut in Ecloga IV, Christum natum, sic in hac Christum mortuum et redivivum esse laudatum commentus est. Plerique tamen de caede et apotheosi Iulii Caesaris commode rem explicant. Sed audi Heine: «Quod si altiore, quam verborum ratio fert, sententiam quaerendam putes, ad Caesarem ut putes poëtam

respexisse feram equidem, modo non singulae allegorice interpretari ausis... Quod tamen cogat nos nihil inest; inferre autem de suo aliquid alieni non est boni interpretis, cui satis esse debet elicere ea quae in carmine sunt, non ea quae sunt extra carmen inferre».

Haec ecloga dramatica est. Incipit a dialogo inter duos pastores, qui deinde certatim versus in honorem Daphnis recitant; prima pars sive *mors* Daphnis est elegiaca, altera vero sive *apotheosis* Daphnis ad lyricam pertinet.

**MEN.** Cur non, Mopse, (boni quoniam consedimus ambo,  
Tu calamos inflare leves, ego dicere versus)  
Hic corylis mixtas inter consedimus ulmos?

**Mo.** Tu major; tibi me est aequum parere, Menalca,  
Sive sub incertas zephyrus motantibus umbras, 5  
Sive antro potius succedimus, adspice ut antrum  
Silvestris raris sparsit labrusca racemis.

*Boni:* periti et docti. *Tu major:* sc. natu. Ambo tamen juvenes erant, ut infra. v. 12 Mopsus ad Menalcam: Sed tu desine plura, puer... *Sive sub incertas...* Pulcher versus descriptivus; epithetum *incertas*, verbum *motantibus*, magistri manu depicta, difficulter in recentiora idiomata vertuntur. Legionensis ita hispanice redit: «A la sombra que el céfiro menea»: at exulat epithetum *incertas*, et vividitate versus Latini caret. *Succedimus:* Succedere cum dativo est prope accedere. Sic etiam Aen. II. 478: «Succedunt tecto flammisque ad cul-

mina jactant. Invenitur etiam cum accusativo; «Si murum succederent gravibus superne ictibus conflictabantur». (Tacitus). *Aspice ut... sparsit:* (pro sparserit). Subjunctivus qui sequitur interrogationem indirectam aut particulas indefinitas *ut, quam, ubi, quomodo...* rarissime mutantur indicativo. Apud scriptores tamen non classicos et apud poëtas praesertim comicos liberior est. Exempla; «Si nunc memorare hic veim quam fideli animo et clementi in illam fui.» (Terentius) «Sciunt quid Juno fabulata est cum Jove». (Plautus).

**MEN.** Montibus in nostris solus tibi certet Amyntas.

**Mo.** Quid si idem certet Phoebum superare canendo?

**MEN.** Incipe, Mopse, prior si quos aut Phyllidis ignes 10  
Aut Alconis habes laudes aut jurgia Codri.  
Incipe, pascentes servabit Tityrus haedos.



*Certet*: Subjunctivus potentialis, qui sibi vult «*es capaz de competir contigo*». *Tibi*: vel tecum, ut in Ecl. IV: «Pan etiam Arcadia mecum si iudice certet»:

*Quid (mirum) si idem...* (*i* protenditur in masculino, contrahitur in neutro). *Phyllis, Alcon*, nomina mythologica. *Codri* regis Athenarum notissima historia est, qui bello adversus Dorienses inito, cum ab oraculo responsum esset

illum populum victurum cujus rex periiisset, ipse, lignatoris habitu indutus, per medios ingressus hostes, ab eis occisus est. *Si quos habes*: Adhibetur indicativus in oratione conditionali cum solum conditio fingitur sive ponitur, ita ut neque affirmetur neque negetur eam expleri sive existere». (Llobera, Gramat. Class. Latin. n.º 305, not. 2.)

MO. Immo haec in viridi nuper, quae cortice façi  
Carmina descripsi et modulans alterna notavi,  
Experiar: Tu deinde iubeto certet Amyntas.

15

MEN. Lenta salix quantum pallenti cedit olivae,  
Puniceis humilis quantum saliuunca rosetis  
Iudicio nostro tantum tibi cedit Amyntas.

*Modulans alterna notavi*, id est: «Modo fistula, modo voce componens ad certas mensuras notavi alternatim, ut ex varietate deprehenderetur concentus». (Minelius, in h. l.) *Iubeto (ut) certet*: Particula *ut* cum verbis voluntatem

aut mandatum clare exprimentibus saepe omittitur. *Lenta salix quantum...* Haec aliaeque id genus comparationes in bucolicis Vergilianis crebrius obcurrunt.

MO. Sed tu desine plura, puer: Successimus antro.  
Exstinctum Nymphae crudeli funere Daphnim  
Flebant: Vos coryli testes et flumina Nymphis  
Cum complexa sui corpus miserabile nati,  
Atque deos atque astra vocat crudelia mater.

20

Incipit cantus elegiacus. *Exstinctum*: Hoc ipso verbo utitur Vergilius in celebri Georgicorum episodio de morte Caesaris: «Ille etiam *Exstincto* miseratus Caesare, Romam...»

Epithetum poëticum *crudeli* bene aptatur neci Caesaris, qui in medio senatu tribus et viginti vulneribus occisus est. *Flebant*: Nympharum tristitia initio tacita, repente lacrimis erumpit; hoc videtur poëta voluisse significare,

verbum *flebant* ad alium versum relinquendo. Apostrophe *vos coryli* vivacitatem addit descriptioni.

Passiones animique commotiones omnibus rebus etiam sensu carentibus loquelam tribuunt. At matris Daphnis exclamatio in deos et sidera profundiorrem dolorem efficit. Poëta paganismi tenebris contextus, epicureisque doctrinis addictus, diis in culpam vertit quod Daphnis *crudeli funere* obierit.

H. MARTIJA, C. M. F.

## In Christum crucifixum

*Undevicesimo a Passione recurrente anno centenario*

*Adfixum rigidae cruci,  
 Fossum vulneribus, sanguine roridum,  
 Si Te, Christe piissime,  
 Quis sicco valeat cernere lumine,  
 Illi cor adamantinum  
 Haeret marmoreo pectore conditum,  
 Nam quod mortiferam luem  
 Humanæ suboli turgidus angelus,  
 Diis pulsus honoribus,  
 Olim infuderit, et noxia in omnia  
 Deceptos animos agens,  
 Mundum miscuerit luctibus et malis,  
 Caelestis simul et domus  
 Aeternum miseris clausurit ostia;  
 Tu de non genito Patre  
 Proles unigena, deque Deo Deus,  
 Et rerum Sator omnium,  
 Exsortes miserans et veteris memor  
 Promissi, caput horridum  
 Triturus colubri, vertice olympico  
 Sedes lapsus in exsules,  
 Expertis maculae Virginis ex sinu  
 Humanos trabis halitus.  
 Tunc cunis Puer es visus egentibus  
 Mortalis simul et Deus,  
 Mira progenies, quae foret omnibus  
 Prorsus res nova saeculis.  
 Mox vero supera gratia amabilis,  
 Divina sapientia  
 Praefulgens, humilis, cordeque mitior,  
 Urbes visis et oppida,  
 Docturus populos; oreque profluo  
 Nil ex invidia Tibi  
 Servans, aetherio lumine fulgidum  
 Spiras eloquium tuum,  
 Quo mentes hominum cordaque devia*

*Aeternae remeabiles  
 Vitae suscipiant nunc quoque semitas.  
 Tunc error vafer occidit  
 Atque orcum repetunt vanaque falsaque  
 Quae mundum retro nubillant,  
 Et lux in tenebris orta sedentibus  
 Pandit caelica gaudia.  
 Te donante quoque, Christe, minantium  
 Morborum refugit cohorts,  
 Et mors ipsa tuo subdita nutui  
 Ablatas animas refert.  
 Tu fundis misero prodigus omnia  
 Humano generi bona.  
 Ergo quid Tibi cum supplicio crucis?  
 Cujus Tu sceleris reus  
 Poenas horrida solvis in arbore?  
 Aut delicta ubinam tua?  
 Aut quando in vetitum Tu rueras nocens?  
 Sed quid quaeris improbi?  
 Nostras inmeritis scilicet haud tuas  
 Culpas Tu moriens luis.  
 Offensus graviter namque tot impiis  
 Peccatis hominum Deus,  
 Tantum quae pretium vitae rependeres  
 Te mundo dedit Hostiam.  
 Huic tu nostra ferens crimina, protinus  
 Decreto Patris obsequens,  
 Agnus ceu innocuus, candida Victima,  
 In ligno pateris mori.  
 Quot ludibria, quot, pro dolor! aspera  
 Pro nobis mala sustines!  
 Sed grates Tibi sint, Christe Salutifer,  
 Laudes saecula concinant  
 Quod labes hominum et vipereum nefas  
 Almo' sanguine diluis.  
 Nunc taeter Satanus abditus horridis*

umbris infremit impotens.  
 Jam tellus vepribus quae scatuit, debinc  
 Virtutis nitidos feret  
 Flores, atque hominum progenies nova  
 Flavescet sata caelitus.  
 Nascetur populus magnus ab integro  
 Qui pulcrum intrepida fide  
 Incoeptisque tuam portet imaginem  
 Cognomenque tuum inclitum  
 Exsurgent validi Christiadam chori  
 Quos certamine strenuo  
 Claros sidereis sedibus inserat  
 Victrix laurea multiplex.  
 En stirps pura Crucis, en tua gloria,  
 En qui Te, redamant tui.  
 Infandum! aſt etiam sunt quibus effera  
 In te vis odii insidet  
 Nullum non lapidem qui tumidi movent  
 Ut Te, Numen amabile,  
 Si tantum valeant, mentibus auferant

Vel terris procul eluant.  
 Quos omnes adigit tartareus furor  
 Ut quidquid redolet pium  
 Aut Sanctum maculent sacrilegis probris  
 Aut saevis placitis premant.  
 Heu! quisnam a lacrimis temperet acribus  
 Inmane hoc facinus videns!  
 Cogat Te pietas, cogat et ille amor  
 Erga nos sine termino,  
 Ut recte sapiant hi miseri quoque  
 Te quaerant propere, dare.  
 Et tandem famulos sanguine quos tuo  
 Emisti cruce in aspera.  
 O Tu nostra salus, almaque spes, quies,  
 Fac nos epernere ludicra,  
 Integrum vitiis degere saeculum,  
 Immortalia quaerere  
 Aeterno in superis lumine perfrui.  
 Fr. P. Antonius URQUIOLA, O. F. M.

## Ad obferendum

Numquid desideras?  
 Quidnam desideras?  
 Quid cupis?  
 Placetne hoc tibi?  
 Quid pro te faciam  
 Qua in re tibi morem geram  
 Quid optas?  
 Quid rogas?  
 Quid tibi obferre valeam?  
 Quid maris?  
 Id obfero libenti animo

## Ad postulandum

Quidquam a te sum petiturus  
 Visne mihi operam tuam conferre?  
 Licetne mihi gratiam a te petere?  
 Potestne mihi concedere quod postulo?  
 Praesta mihi hanc gratiam  
 Erisne adeo bonus ut....  
 Visne hoc obsequium facere...

Illud a te oro  
 Ignosce mihi, amabo.  
 Possumne in te certum ponere  
 Doleo vehementer tibi molestiam adferre.  
 Noli mihi rem abnuere.  
 Mihi magnum beneficium in ex repones.  
 Habebisne mihi gratiam?  
 Magnum mihi beneficium feceris  
 Opera tua ne abutar metuo.

## Ad obtemperandum

Etiam; sane quidem  
 Tibi praesto sum  
 Adsertior in hac re  
 Libenter  
 Faciam quidquid in me erit  
 Certus esto facturum me esse quidquid in  
 me erit.  
 Dictum, factum; convenit.  
 Nihil tibi possum abnuere.  
 Meam operam habebis.

# NOVA ET VETERA


## ELECTRICA PIRULA

Vides, lector humanissime, bullam (1) hanc crystallinam quae tuis oculis depicta objicitur? Lampas (2) est quae ubique hodie constituitur sive tecto dependens, sive fixa parieti in metallicum brachium inducta, sive lucernario (3) imposita. Eam vocant *pirulam* (4) recentibus ex eo quod piri formam habet. Inmittitur lychnucho (5) et radiaculo (6) saepae protegitur quo minus profundantur spicula (7) lucis meliusque conligantur. Radiaculum sustinetur *tenaculo* (8) tribus verticulis (9). instructo. Lucem praebet in nocte, in umbra, in caligine tam studioso viro quam actiuo. Omnia subiecit (10) luminaria, atque id vix dici potest quam praestanti ratione.



**Pirula**

In ea sicut in veteri laterna inclusus latet ignis, cui minus periculum est ne vento extingatur. Opus non habet ellychnio (11), funiculo nempe illo papyraceo, cannabino aut stuppeo qui, oleo adfuso incensus, flammam nutrit; neque ideo fumo maculatur vel oleo vel candelarum cera, quibus omnino caret.




**Radiaculum**

Camera lucis electrico igne succensa, clausa prorsus est et aëre vacua, unde lux manat ex teritibus filamentis exscandescentibus, quae quidem filamenta ignem concipiunt cum vis electrica per connectorium (12) in fluentum (13) ingre-

ditur, partem intimam pirulae pervadens.

Nullibi jam hodie, nisi in pagis a civitatibus admodum dissitis, reperies lucernam (14), instrumentum illud quod uno vel pluribus ellychniis accensis instructum oleo nutritis, lucem praebat domesticis usibus, neque, praeter quam in aedibus sacris, candelam, quam Martialis vocabat lucernae ancillam, quia haec ditiorum erat, candela pauperum.

Candelabra (15) haec scilicet instrumenta in quibus candelae et cerea



**Funale**

infiguntur reservarunt hodierni homines ad sollemnia sacra, quia viva est lux eorum et symbolus animae cum corpore junctae, quae quasi holocaustum in Dei altaribus consumitur. Hodie tamen in altaribus Domini cum veris candelabris, et materia et arte exquisitissimis, mixta videbis funalia (16) lampadibus electricis referta, quae generico nomine *lychnos* (17) appellare poteris juxta illud Vergilii (Aen. I, 730):

...dependent lychni laquearibus aureis incensi...



Tenaculum

Cum vero in lampadibus sermo meus est versatus, antequam de his dicere desisto, placet proverbium explicare quod apud Latinos vulgatum fuerat. *Lampada cursu tradere* significat partes suas quasi successione et per manus in alium transferre. Ducta erat locutio haec a ludo juvenum Atheniensium, in quo lex erat ut lampada seu taedam ardentem

ab uno ad alium locum atque inextinctam, non intermisso cursu, perferrent: si enim intermisissent, fax extinguebatur cursus agitatione cessante. Itaque primus aliquis cursum inibat, qui defessus alteri intregro tradebat lampada, hic deinceps tertio, etc. donec ad statam metam perveniretur.

EMMANUEL JOVÉ, C. M. F.

(1) *Ampolla*.—(2) *Lámpara*.—(3) *Quinqué*.—(4) *Bombilla*.—(5) *Porta-lámparas*.—(6) *Pantalla*.—(7) *Rayo*.—(8) *Portapantalla*.—(9) *Tornillo*.—(10) *Sustituir*.—(11) *Pavilón o torcida*.—(12) *Interruptor*.—(13) *Corriente*.—(14) *Candil*.—(15) *Candelerero*.—(16) *Arañas*.—(17) *Candelabro*.

## Epistularum Commertium

*Camillus Torrente Rdo. Emmanueli Jové fratri, Palaestrae Latinae*

*Moderatori salutem.*

Cervariam

Tuis invitatus litteris sexto idus majas subscriptis, protinus amicum meum clarissimum Johannem Morron Dundas adii, qui rem, in urbe Neoyorcina gerendam, bene feliciterque complevit. Post paulo, ergo, novus linguae Latinae praeco «Auxilium nempe Latinum» sacras illas aedes, Universitatis inquam, ingredietur. Laeto vultu grataque manu illud recipere digneris.

Hac autem oblata occasione, tua, Moderator optime, tuorumque sociorum acta gloriosa in Palaestra non possum non laudare. Nostros enim juvenes ad inclita pugnanda certamina disciplinarum provocatis. Si pauci nunc, juvenes vel seniores, ad hoc genus contentionum videntur parati, dies veniet quando e nostris conlegiis apprime callebunt, quidquid classicum est degustabunt, quidquid romanticum bombasticum, modernisticum, sensu vacuum, tota mente respuent atque aspernabuntur. Ii tandem sunt quibus latius panditur via ad thesauros sacrarum scientiarum capessendos, qui in vera sapientia celerius crescunt, abundantiusque florent. Quae omnia liceat mihi magni Augustini verbis claudere: «Garriebam plane quasi

peritus, et nisi in Christo Salvatore nostro viam tuam quaerem, non peritus sed periturus essem». (1) Vale.

Washington, 7 Kalen. Aug. 1933.

*Emmanuel Jové, Doctori Domino Camillo Torrente in religione fratri s. p. d.*

Washingtonem

Quam mihi fuerint acceptae tuae superiores litterae, verbis exprimere nequeo. Nam et tuam optimam in me et in Palaestram Latinam voluntatem prodebant et animum tuum Latinarum fovendi litterarum. Quibus in rebus locum parem obtenuisse clarissimum amicum tuum Johannem Marron Dundas plane perspexi. Naë ille bene feliciterque negotiolum gessit quod tibi commendaveram quaerendi apud Yancilandios commentarium «Auxilium Latinum» de quo quidquam acceperam, neque tamen certi aliquid habebam. Et tibi et illi gratias sempiternas, qui de nobis tam bene meruistis. Quidni igitur vos in posterum honorabiles eritis subnotatores hujus commentarii nostri, qui homines honoratissimos ad se cottidie adlicit? Utinam apud vos notior fiat, praesertim apud eos qui «Auxilii Latini» socii sunt. Aut multum fallor aut certe non minus quam ille placeret eis Commentarius noster. Sed in re quod non fecerit alacer amicus tuus bonarumque litterarum vir studiosissimus Johannes Marron Dundas certo certius fieri non poterit.

Voluntatem meam erga eum repraesentabis tuque me tibi atque illi additissimum semper habeto. Valebis.

Cervaria, oct. Kal. Septembres.

## Ad interrogandum et respondendum

Quis est istic?  
 Quis es tu?  
 Quicum loquor, amabo.  
 Quomodo vocaris?  
 Vocor N.  
 Quid vis?  
 Quid desideras.  
 Opus est mihi te alloqui  
 Quidquam tibi sum dicturus  
 Nostin'me?  
 Honore hoc tanto careo cognoscendi te.  
 Ausculta me.

Ausculto,  
 Capin'me?  
 Non capio.  
 Quid mihi non respondes?  
 Male audieram.  
 Quid? Si placet...  
 Quid tibi vis?  
 Quid ais?  
 Quid istuc est?  
 Id cui bono.  
 Scisne latine loqui?  
 Potius illud intellego quam loquor.

(1) *Confessiones*, c. VII, 26.

## PER ORBEM

**De litterarum Latinarum conventu Romae habito.**—Luculenta quidem signa litterarum scientiarumque renatus sunt, haud dubium, universales vel, uti ajunt, internationales conventus in Italia, labente hoc fautissimo anno, celebrati. Bononiensem praetereo de re juridica frequentissimum, aliarumque scientiarum coetus: de conventu dumtaxat agam litterarum Latinarum Romae m. aprili habito, de quo tamen non nisi perfunctorie, est enim magna nimis rerum actarum copia atque momentum. Ii vero qui ampliorem cognitionem postulaverint ad «Almam Romam» atque ad *Memorias III conventus Instituti Studiorum Romanorum* se conferant.

De litteris Latinis singillatim agendum erat in universali coetu ab Italico Conlegio seu Instituto Studiorum Romanorum ordinato, solemniter in Capitolio incepto, in aulis ejusdem Instituti (*Chiesa Nuova*) celebrato. Adfuerunt consensibus cl. vir Angelus de Gubernatis Romani Athenaei humaniorum litterarum Doctor, Angelus Valdarnini in Bononiensi athenaeo philosophiae praeceptor, Jacobus Tasset litterarum Latinarum cultor eximius, Josephus Fornari comentarii «Almae Romae» Moderator, Vincentius Ussani litterarum Latinarum Doctor, Carolus Galassi Paluzzi Instituti Studiorum Romanorum auctor totiusque conventus a secretis, aliique viri de litteris et scientiis bene meriti. Mihi etiam erat in votis, pro PALAESTRAE LATINAE Maderatore, conventui interesse; sed infirmae valetudinis causa, ab Urbe, ubi degebam, Tusculum petii, ibique morbo

detentus, adeundi facultate orbatus sum. Atque rationem jam consessuum exponamus votaue simul seu conclusiones.

A) *Ratio consessuum.* Dominus Tasset, natione Gallus, latine disseruit de ratione qua hodiernae Europaeae et ceterae universarum gentium res latine dici aut significari possint. Orationi ita audacter finem imponit: «Namque eo res latinae devenere, ait, Quirites, ut cunctis, aut inutilis sermo Latinus pereat necesse est, aut utilis per omnes terras et saecula floreat.»

Deinde Angelus Valdarnini sententiam exposuit constituendi linguam omnibus eruditis communem; cum vero damna et incommoda sexcenta oriantur ex hoc, quod adulecentulorum mentes multiplici sarcina disciplinarum opprimantur, institutionem linguarum coerendam putavit ad vernaculam linguam, alteramque quae communem omnibus fiat; linguam videlicet Latinam, quae tum historia, tum perfectione tum nobilitate primatum obtinet.

Secutus est Angelus de Gubernatis agendo de Latino Ephebeo in Urbe instituendo cujus pateant fores tam adulecentulis Italis quam exterarum gentium.

Fornarius orationem concludit in sententia, quam Felix Ramorinus prius edixerat: «*Haec formula nostra sit: Latinus sermo doctrinarum omnium et disciplinarum communis est habendus.*»

Vincentius Ussani de ratione Latinas litteras docendi in Lyceis et Universitatibus pertractavit; Carolus Gallassi Paluzzi de Latina lingua, tamquam ins-

trumento conferendi inter se doctos universi orbis viros, retulit.

B) *Conclusiones seu proposita*. Latinorum conventus Romae m. aprili anno MCMXXXIII primum congregatus vehementer exoptat et poscit: 1) — Ut sermo Latinus inter gentes universas communis habeatur et adhibeatur ad humanitatis commercium fovendum, augendum, tenendum. 2) — Ut conlegia coetusque doctorum acta, compendio saltem, latine fiant. 3) — Ut universi discipuli sermonem Latinum ad conlogia advenarum peregrinorumque conversationem interrogantium vel sciscitantium in ludis etiam primariis discant. 4) — Ut ad hoc propositum facilius adsequendum libelli de rebus cottidiani usus a peritis purae Latinitatis lucidi tersique scribantur. 5) — Ne usus latine scribendi et conloquendi in Lyceis et in Universitatibus despiciatur aut neglegatur. 6) — Ut ad lauream in litteris elargiendam Latinae rationis experimentum in scriptis sumatur. 7) — Ut a candidatis ad disciplinam aliquam in Universitate edocendam, quae ad

cultum antiquitatis classicae quoquo modo se referat, opusculum aliquod latine confectum repetatur. 8) — Ut annus bis millesimus ab Horatii nativitate tota Italia, in primis Romae et Venusiae, sollempnibus feriis celebretur. 9) — Ut Almae Urbis aliqua via Camilli Morelli philologi poetaeque Latini clarissimi, qui novissimo contra Austriacos bello strenue pugnans cecidit, nomine honestetur. 10) — Conventus ad litteras Latinas fovendas Institutum Studiorum Romanorum magnis prosequitur laudibus, eo quod pro viribus insudaverit ut Latina lingua floreat magisque in dies usu deveniat.

Aliorum consessuum, archaeologicae videlicet, philologiae hodiernae, cetera conclusiones praetermitto, votumque meum expromo ut robur et virtus in conclusionibus, modo quasi in semine latens evolvatur fructusque optimos Latinarum litterarum amatores, volentibus solibus, percipiamus.

J. M.<sup>a</sup> JIMÉNEZ, C. M. F.

Ex Claretiano, m. augusti anno MCMXXXIII

## IN PECCATUM

Anacreontis Εἰς γελιδόνα imitatio altera <sup>(1)</sup>

	<i>Quid vis tibi, nefanda,</i>	10	<i>Tibique fluctuanti</i>
	<i>Quid, sacra culpa, fiat?</i>		<i>Vitalis aura desit?</i>
	<i>Vis ut manus aënis</i>		<i>Immane, abi inde, monstrum,</i>
	<i>Nodis pedesque centum</i>		<i>A me procul recede.</i>
5	<i>Te vinciam per aevum?</i>		<i>E corde fraude taetra</i>
	<i>An aequor in profundum</i>	15	<i>Meo quid, o tyranne,</i>
	<i>Mavis scelesti, trudi</i>		<i>Auferre vis IESUM?</i>
	<i>Et curripi sub undis,</i>		
	<i>Undis ut obruare</i>		

Josephus LLOBERA, S. J.

(1) V. num. 13, p. 52. — (2) Clr. Verg. Aen. 3. 57, Hor. Epod. 7, 20.



## Bibliographia

**Arnaldo Momigliano.**—*L'opera dell'Imperatore Claudio. Collana Storica.*—Firenze, Vallecchi editore.

Imperatoris Claudii personam et operam vindicare atque ejus in historiam Romanam influxum et momentum hoc in libro auctor intendit. Archaeologiae sane artem et papyrologiae, decem his annis proxime elapsis, imperatori Claudio satis favorabilem fuisse in libri introductione adseritur. Jam vero recentioribus his potissimum documentis in-nixus, Tiberii Claudii personam rursus depingendam Momiglianus curat. Quatuor admodum totum hoc opus capitibus absolvitur: I—*L'Erudito* (pag. 13-41); II—*Le basi dell'Impero: la politica religiosa* (pag. 43-77); III—*La politica di accentramento* (pag. 79-134); IV—*Apocryntosis Divi Claudii* (pag. 135-142). Toto denique in opere independentiam Claudii a libertis, adhuc ei denegatam, auctor proclamat. Bibliographiam rei cum generalem tum particularem, quae satis copiosa est, scriptor optime novit.

R. PASTÓ, C. M. F.

**Giovenali.**—*Le Satire.* A cura di Federico Ageno. Vol. I, Traduzione.—Padova, Libreria A. Draghi.

Primum hoc volumen promittit clarissimus auctor brevi intervallo temporis aliud secuturum, quod introductorias aliquas quaestiones in Juvenalem referat, textum critico cum adparatu praebeat, et varias commentationes. Quod vero nunc suscipimus volumen lectoribus nuntiandum, exhibet Italicam translationem, versibus nempe endecasyllabis factam, integri libri Satirarum, quem poeta Juvenalis scripserat. Translatio fidelis esse textui in omnibus studet, quin verbum tamen de verbo referat. In opere autem, quod 2888 versibus constat, nihil erit mirum, si poeticae aures aliquando naevulos percipiant,

omnino quidem excusabiles, sive ex ipsa prolixitate, sive ex interna translationis difficultate.

ALOISIUS PUJOL, C. M. F.

**Minucii Felicis, Lactantii, S. Ambrosii, S. Augustini, S. Hieronymi.** *Scripta selecta.*—Con introduzioni e note di Cesare Verlato.—Milano, Antonio Vallardi, via Stelvio, 22.

Pulcrum sane opusculum atque utile valde, quod hodie lectoribus nostris praebeamus. Optimum enim ducimus et utraque manu plaudendum consilium connectendi una cum ethnicis auctoribus Latinis selectam et accuratam classicorum Christianorum Anthologiam ad usum Gymnasiorum et Lycaeorum. Hoc autem in volumine «Corporis Scriptorum Latinorum» exstant: Octavius Minucii Felicis uberi commentatione; Lactantii excerpto nonnulla de Opificio Dei, de Divinis Institutionibus, de Mortibus Persecutorum; S. Ambrosii varia de Elia et Jejunio, de Virginitibus, de Officiis...; S. Augustini, praecipuae pagellae ex libris Confessionum et de Civitate Dei; et S. Hieronymi epistulae selectae. Unicuique auctorum praefatiuncula concinna perquam utilis praemittitur. Libenter, igitur, hoc Gymnasiis Lycaeis-que opusculum commendamus.

R. CASALS, C. M. F.

**A. Knoch.**—*Sprachwissenschaftliche Grundlegung.*—Verlag M. Diesterweg, Frankfurt a M.

Haud directo omnino modo ad linguam Latinam praesens aptatur opusculum. Id tamen Latinitatis cultoribus non erit in consentaneum, cum lingüisticam in eo methodum ab auctore proclamatam, studio ejus linguae cum maximo profectu accommodari valeat. Ete-

nim operis finis non alius quidem est, nisi depingere aut exprimere magnis itineribus tendentias fundamentales, ex auctoris verbis «vires viventes», quae linguarum omnium evolutionem praeeunt atque dirigunt. Propositum auctoris in decem opusculi capitibus, iisque haud longis, non est materiam exhaustire; conceptus tamen rei praebet capitulosiores. Maxime hic honoratur libellus parte bibliographica, quae est et locuplex et hodierna. Toto in opusculo tandem emergit facile persona experti professoris, qui vel de iis, quae in aula a tirone effutiuntur, emolumentum captat ad internam linguae machinam et enocleandam et constabiliendam.

**Ernst Kieckers.** *Die Sprachstämme der Erde.* — Heidelberg, Carl Winter.

Tractationes seu opera glottologiae generalis admodum sunt adhuc in dominio Philologiae rara, atque ideo difficilis acquisitionis, quippe quae non exiguae molis et laboris, qualia: «Les langues du monde, par un groupe de linguistes sous la direction d'Antoine Meillet et Marcel Cohen», et «Die Sprachfamilien und Sprachenkreise der Erde, von P. W. Schmidt». Hoc et maxime commendat opus, quod lectoribus hodie praebemus, ab Ernst Kieckers elaboratum. Unis 257 pagellis constat, iis autem solida et uberi doctrina refertis. Ibi ad compendii modum reperies hodiernum glottologiae generalis statum, cum fidei enumeratione atque arguta omnium familiarum linguisticarum classificatione. Maximae tibi utilitatis erunt breves, sed adcuratae notiones grammaticae, quas cuique auctor linguarum familiae adjungit. Opus tandem omnino aptum iis philologis, evadit, qui status actualis glottologiae generalis adaequatum conceptum habere optant

**Kurt Witte.**—*Die Geschichte der römischen Dichtung im Zeitalter des Augustus.*—Erlangen.

Quam scribendam K. Witte suscepit historiam poëseos Romanae in tempore Augusti, ea volumina tria, haud parvi quidem ponderis, complectetur. Uniuscujusque autem voluminis una pars edita ad usque dies nostros est. Etenim anno 1924 edebat auctor primam voluminis tertii partem: *Die Geschichte der römischen Elegis*, I. Tibull. Anno vero 1927 currente, secunda, pars primi voluminis mandatur prelo, nempe: *Vergil*, 2. *Vergils Georgika*. Annis tandem 1931 1932 publici juris fiebat voluminis secundi, quod totum Horatio dicatur, prima pars duaeque secundae fasciculi.

Hoc Palaestrae lectoribus opus maximo opere commendamus legendum, ubi commentario omnino solido atque accurato, longarum quidem auctoris elucubrationum fructu, expositam inventient temporis Augusti poëseos historiam, ejusque poëtarum aetatis sensum et mentem enocleatam cernent maximo illis sermonis Latini profectu.

**Otto Albert Eichorn.**—*100 lustige Rätsel für junge Lateiner.*—Duemmlers Verlag: Berlin und Bonn-1933.

Praesentis opusculi Germanica exarati lingua nullus alius ex auctoris confessione scopus est nisi animorum inter lectores recreatio simul et illustratio. Atque ea hujusmodi dos est quod Latinum quidem sermonem reddat jucundiosem. Quadraginta admodum liber constat pagellis, ubi centum rite concinnis sibi succedunt aenigmata adolescentium animis reddendis acutioribus idonea. Confectio autem opusculi palato juvenum facillime aptabitur.

A. MARQUÉS, C. M. F.

**Verus amicus magnus est thesaurus.**—(Ann. III, num. 26).—Adulescens bellator, natione Persicus militari laude, praesertim robore atque industria equi se modo honestarat, Sciscitatus eum est Cyrus an cum una ex provinciis regni sui eum equum mutare vellet. «Mnime, Domine, — inquit adulescens—. Ego autem cum fido amico mutarem. dummodo tu mihi eum reperires. — JOSEPHUS TEJEDA, C. M. P. — *Villae Rosarii in Argentina.*

**Comae adsciticiae.** — (Annus III, num. 25).— Philippus, dux Burgundiae cognomento Bonus, fuit primus qui non volens dedit exemplum comarum adsciticiarum. Orbus capillis ex longa aegritudine, medicorum jussu caput suum comam adsciticiam induit. Qua sunt aulici comitate tantumdem fecerunt in urbe Bruxelis eorum quingenti. — BARTOLOMAEUS AIZPURUA. — *Conlegii Aranzazu alumnus.*

**El caballo guerrero y el caballo cobarde.**—(Ann. III, num. 25).—En el campo tusculo iban creciendo para un mismo amo dos caballos casi de la misma edad, capaz uno y otro de hacerle las labores del campo. El uno era vigoroso, y extraordinariamente cobarde el otro. El alistamiento destina a los dos a la guerra; el cobarde se atemoriza y despidiéndose del otro se escapa y huye veloz a una frondosa sinuosidad del monte Algedo, esperando la paz después de la guerra. El caballo de guerra se dirige al campamento y siendo notable por sus fuerzas es entregado por compañero y ayuda a un gallardo jinete. Terminado el servicio, batidos y derrotados los enemigos, las tropas se habían hecho merecedoras de la corona del vencedor. Vuelven a sus casas y el caballo guerrero conquistada la gloria y saltando de contento vuelve a visitar los campos de su patria, decorados por las colinas de Catón y después es dado como recompensa a su jinete. Dícese, pues, que presenciándolo el cobarde habló de esta manera: ¡Oh dichoso tál el miedo y la cobardía me condenaron a mí al duro trabajo de

acarrear paja y estiércol. — JOHAN. CANO. — *Seminarii Abulensis alumnus.*

**Dos perros marinos (hombre y bestia) y el grajo.**—(Ann. III, num. 26) — El nombre de can marino está muy bien aplicado a los improvisadamente afortunados, que, siendo de humilde condición, acapararon riquezas sin tener ningún escrúpulo de si las artes con que aumentaron su hacienda eran buenas o malas. Quieren ser tratados y contados en el número de los magnates; y hasta hay quienes no se avergüenzan de fingir glorias y linaje para sus antepasados. Uno de ellos, en lo más caluroso del verano, fué a tomar baños, dirigiéndose hacia una oculta playa del mar tirreno, en un sitio donde hacia tiempo se había dejado ver una enorme bestia marina. Se hallaba metido en el agua, cuando sobrecogido de espanto súbitamente dijo: ¡Pobre de mí si el can atroz se presentara! Y un grajo, que había oído estas palabras desde una próxima encina, dijo a quien pensaba escaparse: no hayas miedo, que en ningún lugar un perro devora a otro perro. — ANGEL MUZAS. — *Seminarii Barbastrentis alumnus.*

*Apud puerulos meos, eosque discipulos, qui primum tantum Latinitatis curriculum superarunt, magna est aemulatio in Latina lingua addiscenda. In certamine quod eis indixeram ad diem Cordi Mariae consecratum, praemium proposui pro illo qui de Inmaculato Corde lepidiorem atque elegantiorum praeberet compositionem, eam in «Palaestra Latina» cum auctorelli nomine divulgare. Cum datam idem fallere non liceat, promissum prolinus exsequor:*

**Cor Mariae.** Quid est, cari pueri, Cor Mariae? Est blandus nidus ubi Jesus, cum venit ad mundum, requiescere voluit, Etiam Cor Matris nostrae est, ideoque nos ejus filii jus habemus, ut Jesus, confugiendi ad illud et constituendi in illo nostrum domicilium. Ibi requiescimus; dulcedine gratiae divinae ibi fruimur; erimus ibi liberi a nostris inimicis; ibi tandem omni virtutum genere nos parabimus ut digni efficiamur gloria caelesti. — JACOBUS PASTÓ, C. M. P.

## Compositiones Vertendae

### El filósofo Diógenes (1)

I. Diógenes, hombre de gran corazón, (2) que vivía en un tonel, (3) abandonó su fortuna (4) porque la consideraba (como) una carga. El único esclavo (5) que tenía, llamado Manes, huyó de su casa. (6) y después Diógenes no (7) quiso que volviese (8) a su servicio, porque decía que era vergonzoso (9) que Manes pudiese vivir sin Diógenes y Diógenes no pudiese vivir sin Manes. Habiendo visto en cierta ocasión (10) que un niño bebía con el cuenco (11) de la mano, rompió un vaso que traía diciendo: Insensato de mí (12) que aun tengo cosas superfluas.

II. El filósofo Diógenes, célebre en toda la Grécia, menospreció las honras y las riquezas. Habiendo abandonado toda su fortuna, pasó su vida en un tonel, porque juzgaba que el oro y la plata no sólo eran inútiles, sino perjudiciales

a los hombres. Habiéndose una vez fugado el único esclavo que tenía no quiso que volviese a su casa, porque se avergonzaba de (13) que el esclavo pudiese vivir sin él y no pudiese vivir él sin el esclavo. Es célebre el hecho de que habiendo visto beber a un niño con el cuenco de la mano, rompiese el vaso que consigo llevaba por considerarlo desde entonces (como) superfluo.

### Notulae

(1) *Diogenes philosophus*.—(2) In gen. quare? non *cor-dis*, quare?—(3) *Dolium*—(4) *Divitiae-arum*.—(5) *Servus*.—(6) *Ab eo*.—(7) *Y...* no *ne-que...*—(8) Que fuese devuelto=*reduco*.—(9) *Turpis-e*.—(10) *Quondam*.—(11) *Vola*.—(12) *O...* cum acus. (13) *Quia eum paeniteret quod...*, quare verbum cum subjunctivo?

### Pavones et Pullus Indicus (1)

*Quae te sunt altiora, quaesieris cave.*

Pavonum turmam grandis pullus indicus videns spectari (2) laudarique ab omnibus propter colores pennarum et caudae rotam, invidia quadam pulsus (3) et superbia, in medios (4) currit, ostendens suas opes. (5) Cutem inflat, tollit pennas quo altius potest; et ipse (6) pandit rotulam; terram alis terit (7) et unguium compulsu, ac producta (8) rubra appendice supra rostrum, ardentique (9) capite, velut ira spirans vadit lente et graviter. Mirantur illi primo, mox taetros sonos longis emittunt collis, per convicium (10) monentes pullum; sed persistentem diu turbine rostrorum (11) plectunt, pennis pluribus spoliant, dedecore oppletum (12) abigunt (13) penes suos.

L. ROCCI, S. J.

### Notulae

(1) Gallipavo.—(2) Contemplar.—(3) Llevado.—(4) *In medium eorum*.—(5) Prendas.—(6) También él.—(7) Batir.—(8) Alargando.—(9) Encendido.—(10) Con invectivas.—(11) Afuer-

za de picotazos.—(12) Cubierto de deshonra.—(13) Aviar.

**Prof. Emmanuel Jové. C. M. F.  
Moderator**

Typographia F. Campa Calmet. — Tarregae

